

se accepisse, & vberiore[m] quidem) quàm ipsi Domini nostri Iesu Christi discipuli, vbique commendat & approbat Tertullianus, maximè in lib. aduersus Praxeam, in fine, & libro De monogamia.

8 Hominem Christianum bona conscientia sub principe suo, si sit ethnicus, militare posse negat, & vsum armorum omnino Christianis interdicit, imò verò etiam eos iudices quos vocant, capitales & criminales esse vetat, in libro De idololatria, quia vsum gladii Christianis adimit. Hoc Anabaptistas peperit, in hoc errore pertinacissimos. Itaque iampridem Tertulliani opuscula dānata sunt, communi quodam consensu Ecclesiæ, vt apparet ex Can. Sancta. distinct. 15. Quædam autem tribuuntur Tertulliano, quæ non sunt erronea, veluti quòd panem & vinum in Cœna Domini figuram & σύμβολα corporis & sanguinis ipsius esse dixerit in libro 4. aduersus Marcionem. Sed sic Papæ etiā ipsi sunt loquuti, vt Hilarius 2. in Canone Corpus Christi. De Consecr. distinct. 2. vt intelligant Papistæ quantum à capitis sui doctrina discesserint. Quædam etiam durè de Trinitate & distinctione Personarum diuinarum dixit. Itaque cum magno iudicio legendus est Tertullianus: quemadmodum etiam veteres Patres scriptores Ecclesiastici penè omnes.

---

CAP. LXXXVII.

Abelonitz cur sic dicti. Erroris autem eorum caput vnum.

**H** *ST* quædam heresis rusticana in campo nostro, id est, Hipponensi: vel potius fuit. Paulatim enim diminuta, in vna exigua villa remanserat,